



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Quibus exhibentur quaedam
Observationes circa aliquot Propositiones De Furto,
Compensatione Occulta, & Restitutione, Inter LXV. A SS.
Domino Nostro Innocentio XI. Condemnatas**

Huygens, Gommarus


Lovanii, [1684?]

urn:nbn:de:hbz:466:1-40553

Th. 2170.

9. IV

3.



LIBRARIIS HORTICIS
S. J. B. O. M. S. I. S.
T. P. A. T.
XIX
S. J. B. O. M. S. I. S.

THESES
THEOLOGICÆ

Quibus exhibentur quædam Observationes circa aliquot Propositiones

DE

FURTIVO,

COMPENSATIONE OCCULTA, & RESTITUTIONE,

INTER LXV. A SS. DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XI.

CONDEMNATAS.

QVAS PRÆSIDE

EXIM. VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

LYRANO,

DEFENDET

LEONARDUS IGNATIUS THISIUS Mose-TRAJECTINUS.

In Collegio ADRIANI VI. Pontifici die 11. Decembris 1684.



LOVANI,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

CONCLUSIO PRIMA.

Occasione Propositionis 36. rursus impugnantur varia dogmata de usu opinionis probabilis : deinde ostenditur quod illa Propositio revera fuerit scandalosa , & in praxi perniciofa : denique ex aliis principiis laxioris Theologiae probatur , quod ista Theologia, etsi prima fronte secus videatur, non procedat ex commiseratione erga indigentes.

§. 1.

Ex condemnatione Propositionis 36. conficitur: quod doctrina, quam Adversarii censent habere probabilitatem eminentem, possit esse scandalosa & in praxi perniciofa.



Ropositio 36. sic habet : *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Adversarii in famoso specimine fatentur, quod *Thomas Thamburinus* ad verbum sic habeat : *in gravi necessitate etiam aliena posse surripi, nedum propria occultari, communis jam nunc sententia est.* Addunt ibidem : *Non valde aberrasse Thamburinum, vocando communem illam sententiam, novunt periti.* Hæc illi irrito conatu : quia indubiè eo sine allegarunt , ut Propositionem istam condemnationi subducerent. Meliori fini, Deo sic ordinante, Adversariorum confessio, quâ Thamburini sententiam communem vocarunt, nunc est opportuna. Hinc namque conficitur : quod sententia, quæ ipsis palam fatentibus communis erat, potuerit, dum talis vocabatur, esse scandalosa & in praxi perniciofa. Siquidem Propositio 36. eo ipso tempore, quo antedicta *Thambur* in suo opere, & Adversarii in specimine ediderunt, erat (quod sequitur ex condemnatione facta per *Innocentium XI.*) scandalosa, & in praxi perniciofa : uti de pluribus è numero sexaginta quinque Propositionum ostensum est in anterioribus Thesisibus. Debent proinde Auctores speciminis (velint, nolint) nobis rursus concedere : quod nulla sit securitas in ipsorum probabilitate, ne in illa quidem eminente, quam fundatam censeant in sententia communi.

§. 2.

Auctores quidam Belgæ, qui doctrinam Propositionis 36. dixerunt esse non improbabilem, tantundem, quod praxim attinet, dixerunt, quam qui eam vocarunt sententiam communem.

Circumspectius, inquit Authores speciminis, in hac materia loqui solent Theologi Belgii. Exemplum circumspectionis primo loco allegant *Guilielmum Herinx* disp. 12. de virtutibus quæst. 3. num. 61. Qui satis habuit, ut ajunt, affirmare NON IMPROBABILITER istud asseri, quando dives ipse obligatur Eleemosynam prestare, & non vult. Fateor, si solam expressionis corticem consideremus, videri quod *Guilielmus Herinx* circumspectius fuerit locutus quam *Thomas Thambur* : Verùm si rem intueamur, non multum interest an *Herinx* dixerit non improbabiler (nam in illo verbo vim ponunt Adversarii) an verò dixerit probabiliter. Etenim Propositio non improbabiler tantum valet, quanti Propositio probabilis : sicut homo non indoctus idem est quod homo doctus. Sed *Herinx*, inquit, non dixit eam sententiam esse communem, prout *Thomas Tamburinus*. Resp. hic iterum, si rem intueamur, nihil habetur ob quod *Guilielmus Herinx* meritò dicatur circumspectius fuisse locutus. Pro quo notandum perinde esse, an opinionem tuam voces simpliciter probabilem, an communem, an probabilissimam : modò tu sis de numero illorum, quibus sua circa res agendas opinio, modò probabilis sit, tuta semper est ac segura. Siquidem hæc pacto opinionem

nionem tuam tibi simpliciter probabilem, non minùs tutam minùsve securam censere debes: quàm si diceres, quòd tua opinio sit sententia communis ac probabilissima. Porrò quòd *Guilielmus Herinx* senserit, quòd cuique sua opinio probabilis sit tuta ac secura, patet ex his ejus verbis: *Regulariter loquendo, ex opinione seu assensu probabili rectè formatur dictamen conscientiae: quòd licitè fiat vel omittatur actio, etiam sequendo partem minùs tutam.* Et addit: *est communissima Doctorum sententia.* Ita *Herinx* p. 2. *Disp.* 4. *quest.* 3. *num.* 22. Sive proinde assertionem, de qua agimus, Author ille dixerit *non improbabilem* (id est probabilem) sive cum *Thamburino* & Authoribus *Speciminis*, dixerit eam esse sententiam communem, quòd rem attinet & praxim, idem dixit. Quòd de hoc Auctore, admittendum de omnibus aliis, qui cum *Guilielmo Herinx* sentiunt: quòd regulariter loquendo, ex opinione seu assensu probabili rectè formetur dictamen conscientiae, quòd licitè fiat vel omittatur actio, etiam sequendo partem minùs tutam: nimirum quòd perinde sit, an opiniones suas illi vocent simpliciter probabiles, an communes, an probabilissimas &c. Nec exiguo numero esse, qui cum *Guilielmo Herinx* sentiant de securitate suae opinionis, indicat ipse *Herinx*: dum hanc suam sententiam de securitate propriae opinionis, dicit esse *communissimam Doctorum sententiam*

§ 3.

Quotquot licitum censent, sequi opinionem alienam etiam minùs probabilem, contra propriam: per principium reflexum, tenent omnes omninò opiniones, etiam minùs probabiles, quorumcumque Casuistarum.

Occasione illorum, quae anteriori Paragrapho dicta sunt, non omninò abs re fuerit, non nihil digredi ad aliam quamdam animadversionem priori non dissimilem. Pro qua notandum: inter Casuistas reperiri non paucos, qui licitum existimant sequi opinionem alienam etiam minùs probabilem, contra propriam. Qui ita sentiunt, fateri debent: non nisi larvam & fucum esse, dum sese aut suos à scandalo & pernitie hujus illiusve opinionis probabilis excusare volunt, dicendo: quòd ista non sit sua opinio aut suorum, sed aliorum: nam qui licitum sentiunt, sequi opinionem alienam contra propriam, fateri coguntur licitum sequi illam ipsam opinionem, cujus contrarium ipsi tenent. Ex. gr. quidquid veluti licitum, vel ut peccatum veniale tantum defensum fuit, per opiniones probabiles condemnatas à Summis Pontificibus *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* item per alias ejusmodi opiniones probabiles, extantes in quibuscumque Casuistarum libris; etsi omnibus illis opinionibus ex professò contradixisses, dicendo illicitum esse, quidquid per singulas illorum licitum dicitur, nihilominùs fateri cogeris, quòd omnia illa reverà fuerint aut sint licita: modo tu licitum sentias, sequi opinionem alienam etiam minùs probabilem, contra propriam. Facile est hinc videre quòd sicuti hæc sententia: *Licitum est sequi opinionem alienam etiam minus probabilem contra propriam*, omnes omninò quorumcumque Auctorum opiniones, etiam minus probabiles, tutas dicit, ita quoque qui illam sententiam tenet, eadem ratione teneat, quidquid in quacumque materia, quantumvis scandalosè & pernitosè tenuerunt istarum opinionum Authores. Frustrà proinde, vel hoc titulo, ab Authoribus *Speciminis* culpati fuerunt *Deputati Lovanienses*: quòd Sanctae Sedi obtulerint Propositiones condemnandas, quarum aliqua, ut in *Specimine* dicitur, solummodo defendebantur ab *Hispanis*, ex. gr. *Escobario*, *Vasquez*, &c. aliae tantum ab *Italis* ex. gr. *Tamburino*, *Diana* &c. aliae à *Gallis* ut *Baunio*, *Cellotio*: tales proinde Propositiones, ut objiciunt *Adversarii*, non turbârunt *Belgium*, nec defenduntur à *Belgis*. Verùm frustrà hæc illi: etenim (ut jam non dicamus, quòd *Belgium* non minus turbetur per Casuistas *Hispanos*, *Italos*, & *Gallos*, quàm *India*, in quas hodiè *Casuistarum* libri plenis navibus invehuntur) numquid ex dictis jam patet, quomodo illi *Belgæ*, secundum quos licitum est, sequi opinionem alienam etiam minus probabilem contra propriam, per

principium reflexum , ut vocant , teneant quidquid Casuista Hispani , Itali , Galli , &c. in quacumque materia , quantumvis scandalosè & perniciosè , per suas opiniones probabiles tenuerunt.

§. 4.

Quisquis censet eos sequi practicè propriam opinionem , qui judicant licitum esse sequi alienam : in re conveniunt cum illis , contra quos anteriori §. actum est.

Non dubito quin Authores Speciminis , si interrogarentur quid *Guilielm. Herinx* senserit , de sequenda opinione alterius etiam minus probabili contra propriam , mox responderent , eum *circumspectius* in hac materia fuisse locutum , quam illi , contra quos anteriori §. egimus . Nam p. 2. disp. 4. q. 3. num. 28. respondet istud non licere , sed requiri ut opinionem quam quis amplectitur , faciat suam : verum hæc restrictio , quod opinionem quam sequitur debeat quis facere suam , nullius est considerationis in praxi : dummodo teneatur alia doctrina *Herinx* : nam juxta ipsum , qui ex opinione præformata procedunt , existimantes sibi licitum esse , sequi opinionem alienam etiam minus probabilem , eò ipsò per reflexum judicium , sequuntur practicè propriam opinionem . Ita ille , loco ante citato num. 29. Quorquot proindè contra propriam opinionem , secuti fuerint opiniones ab *Alexandro VII.* & *Innoc. XI.* condemnatas , aut alias quorumcumque Casuistarum , hoc ipsò quo existimarunt istud sibi licere , juxta doctrinam *Herinx* , per reflexum judicium , secuti fuerunt practicè propriam opinionem . Ex quibus indubitatè concludendum : quod secundum ipsum , rectè egerint omnes , qui contra propriam opinionem , sequendo alienam etiam minus probabilem , egerunt quidquid Casuistarum aliquis , per talem opinionem licitum censuit . Undè in terminis , ut aiunt , idem ait , nolim illos condemnare , qui ex opinione præformata procedunt , existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem . Rationem addit : Hi enim eo ipso , per reflexum judicium sequuntur practicè propriam opinionem . Num. 29. ante citato . Singulari notà digna sunt , quæ ibidem subjungit : Verum , inquit , hi in primis frustra laborant , discutiendo plurimos casus , in quibus hi asserunt , isti negant , licere sequelam opinionis alienæ minus probabilis : nam eo ipso quod fatentur probabilem , fateri coguntur licitum esse , quod velut illicitum exterminare conantur . Si ita est , fateatur ergò *Guil. Herinx* , se in suâ Theologiâ frustra laborasse in discutiendis tot casibus conscientiæ , in quibus alii asserunt , ipse verò negat , licere sequelam opinionis alienæ minus probabilis .

§. 5.

Qui præter assertionem , contra quam superiori §. actum est , etiam addit hanc : eo ipso quod quis alicui Propositioni assensum præbet , censet probabiliorem omnibus spectatis : admittere debet , quod is , qui censet licitum sequi opinionem alienam contra propriam , sequatur practicè propriam & probabiliorem .

Verbis ex *Guilielmo Herinx* ultimo allegatis , immediatè junguntur sequentia : Deinde eo ipso quod quis alicui opinioni assensum præbet , censet probabiliorem omnibus spectatis , eum ei simpliciter assentiatur . Ex quibus rursus conficitur , quod etsi *Herinx* dixisset , tibi solummodo licere sequelam opinionis propriæ , imò & talis , quam censet probabiliorem omnibus spectatis : nihilominus ipse admittere deberet , quod quælibet opinio inter condemnatas ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* suo respectivè Authori & cuilibet alteri judicanti se posse agere secundum illam , fuerit tuta , & in praxi secuta . Quod talis secundum *Herinx* fuerit ipsis Authoribus , patet ex eo , quod secundum illum eo ipso quod quis alicui opinioni assensum præbet , censet probabiliorem omnibus spectatis . Quod etiam alteri judicanti se posse agere secundum illam , tuta fuerit , & in praxi secuta juxta doctrinam *Herinx* patet indè

indè : quia sentit quod talis eo ipso per reflexum iudicium sequatur practicè propriam opinionem. Omnes proindè opiniones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. condemnatae , tam ipsis eorum Authoribus,quàm eorum sequacibus, modo iudicaverint sequelam istam sibi licere, fuerint, secundùm Herinx , tutæ & in praxi securæ : cum tamen etiam ante condemnationem, Pontificibus testibus, fuerint ad minus scandalosæ & in praxi perniciosæ. Porrò hæc tam firmâ consequentiâ ducuntur ex verbis illius Authoris mox citatis , ut ab his expedire se nullatenùs possent, quamvis diceret non licere sequelam opinionis nisi sit propria & probabilior.

§. 6.

Recensentur ea, quæ sequuntur ex dogmatibus, adversus quæ, actum est in tribus anterioribus Paragraphis.

EX iis quæ §. 3. 4. & 5. diximus,clarum in primis est,quod generalia principia,de usu probabilium istic à posteriori , ut aiunt , & ex incidenti refutata (nam etiam à priori & ex professò refutavimus in Thesis nostris de opinione probabili) adferant vastissimam animarum ruinam , trahunt enim secum longissimam catenam Conclusionum , quæ ad minùs sunt scandalosæ & in praxi perniciosæ. Patet secundò , in his perinde esse an dicas ad securitatem sufficere opinionem alienam etiam minus probabilem contra propriam, an verò requiras , ut quis sequatur propriam , modo cum Guilielmo Herinx dicas eos qui existimant sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem , eò ipso per reflexum iudicium sequi practicè propriam opinionem. Tertio manifestum est tot Conclusiones scandalosæ & in praxi perniciosas ex tua doctrinâ sequi , si ad securitatem tibi sufficiat opinio propria quam tu censeas probabiliorẽ omnibus spectatis , modo rursùs cum sæpius dicto Authore affirmes quod eò ipso quod quis alicui propositioni assensum præbet , censeat probabiliorẽ omnibus spectatis . Ex his videre licet , quod qui ejusmodi Authores ita laudant , ut in ipsorum Libris censeantur probare eorum principia & in principiis Conclusiones, censeantur etiam suo modo influere in scandala & animarum perniciem, quæ ex Conclusionibus sequuntur.. Præterea hinc collige , quod tam malos Conclusionum adeoque & principiorum effectus quilibet pro viribus impedire debeat ostendendo ex. gr. quod principia ejusmodi Authorum non subsistant , quæ Conclusiones in istis principiis , & quanta scandala in Conclusionibus lateant; maximè si aliquis ejusmodi Author iis qui ad animarum directionem destinantur in Scholis passim prælegatur.

§. 7.

Propositio 36. ante condemnationem erat scandalosâ.

HActenus dicta , allegata sunt occasione eorum quæ Authores Speciminis de probabilitate Propositionis 36. & de sententia Guilielmi Herinx circa eandem materiam, dixerunt. Nunc agendum de ipsa Propositione 36. *Permissum est furari. &c.* Hanc (quemadmodum alias Decreto Innocentii XI. condemnatas) Sanctissimus Dominus meritò dicit esse scandalosam & in praxi perniciosam. Scandalosa est , quia infinitis hominibus nata est præbere occasionem ruinæ , non solum quia potestatem concedit surripiendi alienum in vera necessitate, & re verâ gravi : sed vel maximè, quia quemlibet constituit Judicem in propria causâ, eaque admodum obscurâ, & cupiditati habendi summè blandienti. Cujuslibet enim arbitrio relinquit , ut ipse pro se ipso interpretetur necessitatis speciem , ut ipse pro se ipso ponderet necessitatis gravitatem , & ut ipse pro se ipso expendat circumstantias omnes, quibus sibi licitum statuat surripere alienum. Quod necessitatis speciem attinet , ad eam spectant necessitas sustentandi vitam , necessitas retinendi statum , conservandi honorem , &c. Ad necessitatis speciem rursùs spectant necessitates nobis obvenientes sine culpa

culpa nostra; imo & necessitates inductæ per nostram culpam; per otium puta, negligentiam, prodigalitatem, intemperantiam, &c. Necessitatis speciebus etiam annumerandæ sunt necessitas concernens nos ratione propriæ personæ, item necessitas nos concernens ratione aliorum, quibus ob conjunctionem nobiscum prospicere debemus. Porro hæc omnes necessitatis species, per doctrinam propositionis 36. committuntur arbitrio ipsius surripientis, ut ipse decernat an omnes, an aliquæ tantum, & quæ sibi licitum faciant surripere alienum. Ipsius etiam arbitrio relinquitur ut ipse ponderet gravitatem duplicis necessitatis, illius scilicet in qua nunc est, & illius in qua esse deberet ut alienum surripere liceat. Quod alias circumstantias concernit, surripiens iudex statuitur ut ipse arbitretur quantum damni passurus sit Proximus à quo surripiet, & quo affectu proximus rerum suarum ablationem sit tolleraturus &c.

§. 8.

Propositio 36. etiam ante condemnationem eræ in praxi perniciosæ.

UTi anteriori §. probatum est, quod Propositio 36. sit scandalosa; ita hoc declarandum quod sit in praxi perniciosæ. Quod sic ostenditur: quotidianâ experientiâ notissimum est, quod homines mirè soleant exaggerare suas necessitates: e. g. ut oneribus communibus se eximere valeant; ut debita non cogantur solvere, ut eleëmofynas extorqueant, etiam nonnumquam ab illis quibus ipsismet res est angusta domi: & hæc quidem frequenter etiam illi, qui revera pauperes non sunt. Nunc quod pauperes attinet: quis illorum suas necessitates non æstimat graves? ex quibus facilè est videre, quod propositio 36. infinitis hominibus erit in praxi perniciosæ: dum tot reperientur qui existimabunt se esse in necessitate gravi, atque eo titulo licitè à se aliena surripiri: adeoque & reipsa surripient: ac mundum universum furtis impleri videbimus patrocinio Propositionis 36. Aliis namque istud licere suadebit cœcitas intellectus, credentis quod necessitas sua reverà sit gravis; aliis idem suadebit pravitas voluntatis. Etenim cum pecuniæ obediant omnia; circa materiam acquirendi & retinendi pecuniam, omnes concupiscentiæ conspirare solent. Quæ de pecuniis hic dicimus, similiter obtinent in iis quæ pecuniâ æstimari solent. Hinc in materia capiendi aliena, docentibus singulariter cavenda est laxitas: à qua proindè vel eo titulo specialiter abstinendum est iis, qui bona temporalia flocci pendentes, parvi fortassis æstimant, quod ipsi in ista materia plus æquo sint laxiores. Quod alios attinet, qui laxiora dogmata protrudunt, ut suis vel aliorum concupiscentiis faveant; parva aut nulla spes est, quod hæc nostra reflexio illis sit profutura; cum ut concupiscentiis faveant, dogmata talia tradant; nos vero, quia concupiscentiis favent, dogmata illa cavenda dicamus.

§. 9.

Laxior Theologia est chaos contradictionum.

ET si laxior Theologia primo intuitu videatur procedere ex commiseratione erga indigentes quibus juxta Propositionem 36. potestatem facit aliena surripienti in gravi necessitate; si tamen intueamur alia istius Theologiæ principia, nihil durius potest statui in pauperes: quàm ipsa statuerit. Notum est quid censeat de dandis, vel potius non dandis eleëmofynis ne quidem ex superfluis, ne quidem in necessitate gravi; sed solum in extrema. Per eandem docetur vix in secularibus inveniri, etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquem teneri ad eleëmofynam quando tenetur tantum ex superfluo statui. Hinc collige quam immisericors sit laxior Theologia erga pauperes. Porro cum dogmata adeo sibi adversantia, qualia sunt propositio 36. & immites illæ sententiæ ab eleëmofynâ excusantes,

santes, ab iisdem Theologis sive per principium directum, ut vocant, sive per reflexum de generali usu probabilium, sive partim per directum, partim per reflexum teneantur, colligat hinc lector quale chaos protulerint Theologi laxiores. Vis adhuc aliud chaos ejusdem rationis in Theologia laxiori? potestatem dat cuilibet surripendi alienum in gravi, ut vocat, necessitate, & cuilibet indulget ut hominem occidat *pro uno aureo*, imo si probro alicui verteretur nisi rem furi extorqueat etiam *pro pomo*, nulla ut apparet, habita ratione, an qui surripit sit in necessitate etiam gravi. Tertium chaos exhibet ista Theologia, dum non solum in diversis materiis, sed etiam in eadem imo super una eademque sententia, rigidam se ostendat, cum reverà sit laxissima; quod etsi multis exemplis probari posset, sufficere unicum famosum admodum: non datur, inquit, etiam laxissimi Theologi in venereis materia levis, & tamen iidem illi per principium suum reflexum stabilierunt quidquid in ista materia protrudit laxissimus quilibet, ut ex.g. quidquid *Guimeneus Amadeus*. Merito proinde Theologos istos dicis etiam intradenda doctrina de materia venerea esse laxissimos, nec referre quod dicant in illa non dari materiam levem, istud enim habendum est tamquam si nihil dicerent; quia cum per principium suum reflexum licita censuerint quaecumque tenuit *Guimeneus Amadeus*, & quicumque alius per opiniones, quæ hoc nostro sæculo probabiles vocari cœperunt, sententiam istam de materia levi omnino destruxerunt: quare multum falleris, si e contra putes, quod per sententiam de materia levi in venereis destruxerint dictas opiniones in ista materia laxissimas. Etenim sicut insistendo sapius culpato principio de usu probabilium, autoritas unius Scriptoris ex istis quos pios & doctos vocant, dum hic docet aliquid licitum esse, sufficit adversus millenos id negantes; ita quoque iisdem principiis rursus inhærendo, etsi milleni negarent dari materiam levem in venereis & similiter negarent hæc illave absurda in venereis à peccato posse excusari, ex quo tamen suam doctrinam cœpit tradere *Guimeneus Amadeus* laxioribus istis Theologis suffecit hujus Autoritas non minus ad securitatem in praxi, quàm ad probabilitatem in speculatione; idque in iis omnibus, quæ ille ausus fuit velut in praxi licita in materia venerea tradere: quia *Guimeneum Amadeum* proculdubio doctum & probum habuerunt, saltem priusquam esset à Sede Apostolica cum tanta solemnitate condemnatus, an jam adhuc talem æstiment ignoro, scio equidem me fuisse culpatum eo quod authorem istum post condemnationem culpaverim; etsi solum in epistola quadam fan il'ari.

CONCLUSIO SECUNDA.

Occasione Propositionis 37. ostenduntur scandalum & pernicietas doctrinæ de licita compensatione occulta, ejusdem doctrinæ extensio ad omnis generis contractus, varia istius compensationis incommoda & turbationes, quæ indè in republicâ nascentur.

§. I.

Propositio 37. est scandalosa & in praxi perniciofa.

Propositio 37. ita sonat: *Famuli & Famula domestica possunt oculis Heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario quod recipiunt.* Hæc Propositio rursus est scandalosa & in praxi perniciofa: nam famulos & ancillas, adeoque homines ad officium judicis communiter ineptissimos, judices constituit iterum in propria causa, in æstimandis scilicet suis operis & taxando salario eis debito: id est, in materia quæ istius generis est, ut nulla magis soleat famulos & ancillas, utpotè cupiditate lucri & æstimatione operarum suarum præventos, in errorem sibi faventem inducere: qui error cum

non

non magis quam quiscumque alius, saltem in causa voluntarius excuset, dubitare non licet quin sit inexcusabilis, nisi forte cum Calestio & Abaelardo hæreticum illud defendere velis: non dantur peccata ignorantia. Dicendum ergo, quod doctrina Propositionis 37. famulis & ancillis sit in perniciem animarum illorum, adeoque ut pronuntiavit Pontifex scandalosa & in praxi perniciofa. Facile est ex his colligere, quod dicta doctrina famulis & ancillis potestatem det ut officium suscipiant ac in illo usque ad mortem permaneant, quod tamen, ut ex jam dictis constat, illis est proxima & urgentissima occasio peccandi. Secundò hinc colliges, quod ejusmodi doctrina tot exemplaribus librorum per orbem catholicum evulgata, toties atque à tam multis Theologiam profitentibus per principium saltem reflexum probata & confirmata, sæpissimè quoque ab animarum directoribus famulis ac ancillis instillata fuerit. Tertio hinc statue, an vel verosimile sit quod paucis solum famulis & ancillis doctrina illa fuerit in animarum ruinam & damnationem æternam & an non potius judicandum, quod ingenti prorsus & maximo numero fuerit hoc titulo scandalosa & in praxi perniciofa: quod facilius tibi persuadebis, si cogites quam sit difficile famulos & ancillas occultâ compensatione jam usos, ad malè ablatorum restitutionem reducere: præcipuè dum per tot Theologorum principia sive directa sive reflexa docentur, non solum sic ablata non restituere, sed etiam si necdum sat compensatum sit, alia denuò ad compensationis complementum auferre.

§. 2.

Scandalum & perniciis propositionibus 37. insicrit contrahentes quacumque specie contractus, si in famulis & ancillis locum habeat.

Scandalum & perniciis Propositionis 37. non ad solos famulos & ancillas, sed per viam paritatis rationis ut vocant etiam ad agrorum & rerum quarumcumque conductores pervenit: Etenim si famulis & ancillis liceat dicta compensatio, dum operam suam majorem judicant salario quod recipiunt, cur non licebit rerum quarumcumque conductoribus occultè surripere quantum sufficit ad compensandum excessum quo pretium à se solvendum judicant excedere usum rei conductæ. Nec verosimilè est quod ad solos famulos ancillas ac rerum quarumcumque conductores hæc lues pervenerit: sed quod etiam ad contrahentes quocumq; alio genere contractus, dum scilicet à se datum majus judicant accepto: quibus semel concessis omnium contractuum genera compensationibus occultis erunt obnoxia, & ubi compensationibus locus est, uni contrahentium qui nimirum illis utitur, scandalosa, alteri à quo ad compensandum quidpiam surripitur, damnosa in temporalibus. Siquidem hic debet in rebus suis tantum damni sustinere, quantum contrahentium alter rursus in propria sua causa judex censebit requiri ad compensationem; quia suo judicio plus dedit quam accepit. Existimo equidem quod illi ipsi qui propositionem 37. sive per memoriale Hispanicum, sive per editionem famosi speciminis conati fuerunt à condemnatione quam in urbe sollicitabant Lovanienses, eripere, existimo inquam quod illi nollent se subicere tribunali cui veluti iudices in propria causa, adversus se sederent famuli & ancillæ, conductores rerum suarum aut quicumque alii secum contrahentes.

§. 3.

Latius exponuntur incommoda compensationis occulta.

Alia insuper incommoda habet compensatio occulta: nam ille à quo per eam quidpiam surripitur, vel habet coram Deo obligationem, quam compensatione ufusus cum habere censeat, vel non habet illam: si non habet, injustè cogitur luere quod non debet: si habeat illam obligationem vel eam novit vel ignorat, & similiter vel noscet vel ignorabit

bit quod compensatio fit facta. Si obligationem noverit, sed nesciat eam esse factam (quod ordinariè contingit) manet ex ignorantia compensationis jam peractæ obligatus in conscientia ut tantumdem alteri persolvat aut restituat quantum ille per compensationem occultam abstulit, ad quod non teneretur si illi indicaretur quod compensatio re vera facta sit, & cum ut supponitur, compensatio facta sit, revera non tenetur nisi ob ignorantiam quam producit occultatio compensationis. Si autem ex adverso ignoret suam obligationem, sed nesciat factam esse compensationem, compensantem habebit eo loco quo alias furem: poteritque ob ignorantiam suæ obligationis, juxta dogmata Casuistarum, adversus illum quidquid Casuistæ tam parum Christianè concedunt adversum fures. Si verò is à quo ad compensandum quidpiam surripitur utrumque noverit, id est, suam obligationem & quod compensatio occultè facta sit, quomodò ille feret quod à se non fuerit petatum ut suam obligationem exsolveret potius quam fieret compensatio occulta: nam in primis morosi & difficiles solutores istud ægrè sustinebunt, quia solvere coguntur sua debita quorum solutionem procrastinare statuerant, quamque vel ideò difficilius ratam habebunt, quod modo quasi furtivo solutio se insciis fuerit procurata. Malè etiam habebit virum probum quod in compensatione occulta tamquam morosus & difficilis solutor imò tamquam homo injustus habeatur ac tractetur à compensante. Si denique is à quo occultè quidpiam titulo compensationis surripitur, & suam obligationem & compensationem jam peractam esse ignoret, ut alia occultæ compensationis incommoda omittam, nonne indecens erit, ut is qui ignorat se alteri quidpiam debere, tractetur eo modo ac si se debere sciret, & quasi solvere aut restituere injustè nollet?

§. 4.

Latiùs ostenditur quomodo doctrina Propositionis 36. & 37. si in praxim deducatur, Rem-publicam disidiis, rixis & turbationibus implebit.

Propositio 36. & 37. pro objecto non habent bona aeterna, prout tot aliæ inter 65. nec vitam ipsam sicut quædam inter illas, sed solummodo bona quæ fortunæ vocantur, adeoque talia quæ ipsa vitâ longè, & bonis aeternis infinitum sunt inferiora, quare hæc Propositiones non sunt connumerandæ illis, quæ ex parte objecti sunt præ aliis magis absurdæ: nihilominus illæ tales sunt, ut si homines passim agerent, quod per illas veluti licitum traditur, necessum foret Pagos & Civitates, Provincias & Regna disidiis rixis & perturbationibus impleri, præcipuè si compensatio occulta quemadmodum §. 2. dictum est, ad rerum quarumcumque conductores & ad contrahentes quovis genere contractus, viâ paritatis rationis procedat.

Infinitus siquidem ubique terrarum reperitur hominum numerus, qui si in propria causa Judices statuatur, prorsus censebunt se saltem aliquâ ratione esse in necessitate gravi, præsertim ubi ex doctrina propositionis 36. didicerint tali suo judicio licitum sibi fieri surripere aliena. Hi ergo omnes reipsâ invadant & surripiant aliena autoritate sibi factâ per doctrinam Propositionis 36. His adjuget quotquot inter famulos & ancillas operam suam salario quod recipiunt judicant esse majorem: ergo & hi ab Heris suis juxta doctrinam Propositionis 37. non manifestè ut anteriores, sed occultè iterum reipsâ capiant aliena quoadusque judicaverint operas suas jam esse compensatas. Similiter faciant fundorum & rerum quarumcumque conductores, id est, & ipsi quoque tantumdem ab elocatori- bus clam ipso facto surripiant, quantum suo ipsorum judicio sufficit, ut conductionis pretium ultra non excedat rerum conductarum usum. Quibus omnibus accedant quotquot qualemcumque contractum inierunt, in quo ipsi iterum in propria causa judices constituti, plus à se datum quam acceptum judicent. Igitur etiam illi occultè ab alio cum quo con-

traxerunt tantum actu surripiant, quantum requiri censent ad compensandum excessum quo à se datum superare putant acceptum. Fingamus ergo pauperes illos, rerum quarumcumque conductores & contrahentes quovis, hodierna die omnia illa juxta doctrinam Propositionis 36. & 37. ad praxim deducere, eritne hoc posito Regnum, Provincia, Civitas, aut pagus, imo alicujus notæ familia à surreptione apertâ vel à compensatione occulta, ita libera, ut non hinc vel illinc, aut potius utrumque damna sustineat? Deinde, quot illinc disidia ac contentiones, quot rixæ & perturbationes? Denique quid ad hæc illi qui bona sua juxta doctrinam Propositionis 36. surripi coram vident? Quid alii qui juxta doctrinam Propositionis 37. res suas occultâ compensatione ablatas esse postea intelligent? quid inquam tum hos, tum illos facturos credimus, si ipsis liceat secundum alia Casuistarum dogmata superius recensita, rerum suarum surreptores, modo hæc sint notabilis ut vocant, momenti vel aureum unum valeant, invadere resistentes, vulnerare, mutilare, & occidere? Poteritne cum talium dogmatum praxi consistere pax, ac animorum unitas in Republica? An non potius disidiis, rixis, perturbationibus & homicidiis omnia mox cernemus impleta?

Dijudicet nunc Lector à quibus Respublica nata sit turbari, an à Lovaniensibus, qui dogmata illa & alia pejora centuplò eliminare, an verò ab eorum Adversariis qui hæc & tot alia longè absurdiora proferre, defendere, & damnationi subducere studuerunt.

§. 5.

Non sequitur: Famulis in casu antedicto non licet occulta compensatio, ergo Heri non debent restituere. Contingit quoque, ut inter duos contrahentium, unus illicitè repetat, quod etiam alter illicitè retinet.

ET si famulis & ancillis illicita sit antedicta occulta compensatio, non ideo consecrarium est, quod ipsis Heris liceat eum in modum cum famulis & ancillis pacifici super salario, quod operâ illorum reverâ est minus. Siquidem hujusmodi contractus injustus est, & insuper specialiter Deo ingratus, quia mercedem operariorum pro parte in effectu, ut aiunt, defraudat. Nec refert, quod famuli & ancillæ in ejusmodi contractum consentiant; quia non omninò voluntariè, sed secundum quid, ut vocant, involuntariè consentiunt; prout ex. gr. viator consentit in certam pecuniæ summam dandam Prædoni ne spoliet, aut etiam occidat viatorem: hic enim malâ voluntate Prædonis eum spoliari vel occiduri, cogitur saltem indirectè, ut potius det summam pecuniæ, quam ista sustineat. Modo non omninò ab simili coguntur famuli & ancillæ consentire in salarii justò minus: malunt enim, vel tantillum recipere pro suis operis, quam nulli eas locare, nihilque omninò ex ipsis lucrari, prout ab Herorum avaritiâ alias sibi eventurum vident.

Ex his ulterius consecrarium est, quod Heri, in istis circumstantiis, teneantur famulis & ancillis tantundem restituere, quoadusque famulorum & famularum operæ sint, prout justitia exigit, compensatæ.

Porro si quæras, an ex ista obligatione, quam in Heris agnoscimus, sequatur quod famuli & ancillæ possint coram judice agere pro dicta restitutione, Respondemus inæqualitatem operarum & salarii quandoque posse esse: adeò magnam, ut etiam à judice possit peti compensatio: etsi non sequatur universaliter; famuli & famulæ in isto contractu passi sunt tantam injuriam, ut Heri teneantur ad compensationem, ergò possunt in judicio compensationem petere. Prout non sequitur: Joannes transegit cum Petro minante sibi molestam ac diurnam litem eum in modum ut Petrus Joanni teneatur ad restitutionem, ergò Joannes tunc semper poterit in judicio petere istam restitutionem.

Sicuti

Sicuti clarè non sequitur : Rebelles injustè coëgerunt Principem ad iniquam pacem secum ineundam & ratione illius tenentur Principi ad restitutionem , ergò Princeps potest post pacem initam illos rursus invadere. Nam si hoc liceret , numquam posset cum Rebellibus firma pax iniri.

§. 6.

Vt injuriam non inferas alteri volenti , non sufficit quod sit voluntarius simpliciter & involuntarius secundum quid. Nec licet in iis quibus nos privamus in gratiam alterius per contractum onerosum, pretio aestimare utilitatem quam alter inde accipiet ob circumstantias quæ singulariter se tenent parte illius.

UTi Heris non licet pacisci cum famulis & ancillis de salario , quod moraliter loquendo sit minus operis illorum; ita nec licet vicissim famulis & ancillis aut operariis quibuscumque operas suas elocare exigendo salarium , moraliter loquendo , excedens ipsas operas ex. gr. dum Heri in extraordinaria necessitate sunt constituti. Nec refert quod Heri consentiant quia consentiunt involuntariè secundum quid. Quin demus , quod ob singularem aliquam industriam ipsius Heri , certæ operæ famulorum & ancillarum essent Hero extraordinariè utiles , ne tum quidem famuli & ancillæ licitè cogèrent Herum ad dandum salarium moraliter excedens operas. Siquidem non licet nobis in iis quæ per contractum emptionis & venditionis aut alium onerosum alicui damus vel addicimus, aestimare valorem quem ista habent respectu illius cum quo contrahimus, sed solummodo valorem communem ; vel certè specialem quem habent respectu nostrum , quatenus nosmetipsos in alterius gratiam illis rebus privamus. Siquidem in contractibus onerosis id solummodo à nobis aestimandum est quod damus illi cum quo contrahimus : sed illi non damus singularem utilitatem quam habent res datæ ex speciali industria illius cui damus; ergo &c.

Ex quibus omnibus rursus confectarium est , quod rem injustè vendat , qui ideò vendit pluris quam valeat , quia singulariter utilis est emptori , sive ob ejus indigentiam sive ob quascumque alias circumstantias singulariter se tenentes ex parte emptoris. Sequitur etiam quod injustè agat , qui summam pecuniæ extorquet ab aliquo ne illum accuset de crimine quod verè commisit. Nam istud jus accusandi nihil valet accusatori , cum potius ipse sit onus , nec valet juxtà communem aestimationem , quia non magis potest aliis accusatoris esse utile , quàm huic : quod autem accusando sit utile , ut illo se privet accusator , provenit ex specialibus circumstantiis tenentibus se ex parte accusandi.

Ex iis , quæ toto hoc Paragrapho dicta sunt patet quàm periculosum sit illud hominibus passim cum originali peccato innatum , *carò vendere , vili emere* : quod gentile potius est , quàm Christianum , quia potius est secundum cupiditatem quæ quærit quæ sua sunt , quàm secundum charitatem , quæ non quærit quæ sua sunt. Periculosum etiam est ; quia qui pro scopo habent *carò vendere , & vili emere* suo pondere eò inclinantur ut rem emant minoris quàm valeat ; & similiter ut pluris vendant quàm valeat : quod utrumque injustum est , adeoque non Christianum , quin potius contrà Christum (prout nimirum impudiciæ & calumniæ sunt contrà Christum) nam *castitas & veritas & justitia Christus est* Augustinus serm. 250. de tempore : Non prout illa sunt in hominibus ; sed sicut sunt in fonte incorruptibilis & immutabilis sapientiæ. Juxtà illud Augustini de Catechiz. Rud. *Amandus est (Deus) non sicut aliquid quod videtur oculis ; sed sicut amatur sapientia , & veritas , & sanctitas & justitia , non quemadmodum sunt illa in hominibus , sed quemadmodum sunt in fonte incorruptibilis & immutabilis sapientiæ.* Quare in locum dicti principii gentilis potius , quàm Christiani , substituendum est hoc : *justè emere , justè vendere* : quod reverà Christianum est & non gentile ; si tamen intelligatur *justè* quatenus conforme est æternæ justitiæ ; nam *Dominus justitia est* S. Aug. serm. 17. de verbis Apostoli cap. 3. Item : *Est planè Summus Deus vera justitia.* Idem Epist. 122.

CONCLUSIO TERTIA.

Baunius approbavit doctrinam Propositionis 38. minuta auferendo pervenitur ad mortale, in furto tria considerata sunt ut gravitas ejus cognoscatur. Utiliter nos latet an quædam furta sint tantum venialia. Hæc uti & alia venialia multis titulis sunt cavenda.

§. 1.

Ostenditur quod Authores Speciminis non rectè excusent Baunium circa doctrinam Propositionis 38.

Propositio 38. inter condemnatas ab Innocentio XI. est : *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Adversarii in famoso Specimine queruntur, quod Author libelli famosi, ut ipsi vocant, *Theologie Morale des Jesuites*, hanc Propositionem tribuat *Stephano Baunio*. De quo ipsi his verbis : " *Baunius* ibi in re disputatissima inter Theologos hoc unum definit, quod „ultimum furtum minutum, quo completur damnum grave non sit peccatum mortale. „ Mox vero ait, inde quosdam conficere non esse obligationem gravem restituendi summam minutis furtis acceptam, de quo ipse nihil decernit. „ Hæc Adversarii in Specimine. Justane, an injusta sit hæc querela, mox videbimus. *La Morale des Jesuites* ex Baunio allegat hæc : *Furtum ultimum quod supponitur esse minutum, sicut illa quæ præcesserunt, non est nisi veniale.* Progreditur Baunius : Sa verbo, FURTUM, num. 8. superstruit huic fundamento quod ille, qui per vices pauca alicui furatus est, cum ad notabilem quantitatem pervenerit, non est obligatus sub pœna damnationis aeternæ aliquid restituere : & ratio, inquit Bau : est fortis, quia nullus tenetur sub pœna damnationis aeternæ reparare injuriam cujus causa existit, quando injuriam inferendo non peccavit nisi venialiter, quandoquidem talis obligatio non sit effectus alterius culpa quam mortalis. Hæc *la Morale des Jesuites* ex Baunio videat nunc Lector quam frivolum sit, quod Adversarii Baunium hic excusare voluerint : Numquid enim Baunius Socii sui doctrinam approbat, dum pronuntiat quod ratio ab illo assignata fortis sit, & insuper rationem à Sa allegatam confirmat, dicendo, quod nullus teneatur sub pœna damnationis aeternæ reparare injuriam cujus causa existit, quando injuriam inferendo non peccavit nisi venialiter. Numquid enim clarissimum est quod juxta Baunium, ultimum furtum non sit nisi veniale ? adeoque consecrarium est, quod secundum Baunium, is non peccet mortaliter, qui per minuta furta auferit ex. gr. mille florenos : item quod mille florenos sic auferens non sit obligatus sub pœna damnationis aeternæ aliquid restituere, quandoquidem (verbis Baunii loquor) talis obligatio non sit effectus alterius culpa quam mortalis.

§. 2.

Evidens est quod minuta auferendo possit perveniri ad peccatum mortale : plus tamen tunc ordinariè requiritur ad mortale quam si una vice summa aliqua auferatur ab uno.

Pro certo habendum est, quod furta minuta, sicut possunt perducere ad summam notabilem, ita quoque possint perducere & inferre quod committatur peccatum mortale : nam ejusmodi homines volunt saltem interpretativè auferre summam notabilem : minor nihilominus summa sufficit ad peccatum mortale cæteris paribus, dum unâ vice ab eodem auferatur quam dum minuta à diversis & ex occasione auferuntur usque ad summam notabilem sine expressâ intentione auferendi summam notabilem. Cujus ratio est quod in priori casu rationabiliter unus ille sit magis invitus quam in posteriori simul omnes. Deterius

rius etiam est, cæteris rursus paribus, malum aliquod velle expresse ex. gr. ablationem summæ notabilis, quam velle solum interpretativè. Nam sicuti majoris malitiæ est expresse velle offensam Dei quæ in actu peccaminoso invenitur (hoc enim velle est Deum odisse) quam illam offensam velle solummodo interpretativè, prout vult omnis peccator, ita quoque, servata proportione non autem paritate, pejus est actum peccaminosum velle expresse quam eum velle solum interpretativè. Quod de volente actum expresse & volente interpretativè diximus, locum etiam habet in volente expresse aliquam circumstantiam; ex. gr. quantitatem, & volente illam solum interpretativè.

§. 3.

Pro gravitate furtorum ritè ponderanda, ex parte materiae consideranda quantitas: ex parte ejus à quo aufertur, quantum sit invitus: ex parte auferentis quomodo infurtum influat.

EX dictis anteriori §. conficitur, quod pro ritè formando judicio de furto, num sit mortale an veniale, tria sint consideranda, nimirum ex parte rei ablatae, ejus quantitas aut valor; deinde ex parte illius à quo res aufertur, an multum an parum sit invitus, rationabiliter scilicet: denique ex parte auferentis, qualiter hic influxerit in ablationem, puta an directè an interpretativè; quorum utrumque, & præcipuè interpretativè, iterum admittit suum magis & minus: contingit etiam aliudè ut magis aut minus furtim res aliqua auferatur.

Quod quantitatem sive valorem rei ablatae attinet, dicendum videtur, dari aliquam quantitatem, quæ sive à paupere, sive à divite; sive etiam à ditissimo auferatur, sufficiat ad mortale peccatum; quod nimirum per tantæ rei ablationem injustam, tam graviter impingatur in justitiam aeternam, ut propterea committatur peccatum mortale; erit juxta moralem loquendi modum, ditissimus parum aut nihil incommodi ex tantæ rei ablatione patiatur.

Dum is à quo res aufertur rationabiliter magis est invitus, ablatio est magis culpabilis: hinc facilius contingit peccari mortaliter auferendo à pauperiori, quam auferendo à ditiori, cæteris nimirum paribus.

Si auferens magis voluntariè influat in ablationem, ablatio est magis culpabilis, adeoque facilius mortalis: non solum si voluntarium directè comparetur ad voluntarium interpretativè, sed etiam si unum voluntarium interpretativè, quod est magis voluntarium (quod variis titulis fieri posse colligitur ex Thesibus nostris de Luxuria & Abortu.) comparetur ad aliud voluntarium interpretativè, quod minus est voluntarium: simile quid potest habere locum, licet rarius, inter duo voluntaria directè, sed unum magis, alterum minus directè. Clarum etiam est, quod quo res magis furtim aufertur (ut si unus auferat nummum ex arca, alter fructus tantumdem valentes ex horto) eo furtum sit gravius & facilius mortale.

§. 4.

Vtiliter nescitur quanam præcisè, ut aiunt, requirantur ut furtum sit mortale; idem obtinet in multis aliis peccatis.

QUæ Paragrapho superiori dicta sunt, satis ostendunt difficillimum, ne dicam impossibile esse definire, quanam præcisè, ut aiunt, requirantur ut furtum sit peccatum mortale; id est, quanam ita requirantur, ut minus non sufficiat: imo ne quidem istud definiri potest, ex parte materiae, dicendo quæ quantitas ad mortale ita requiratur ut minor non sufficiat: quod non solum in furtis sed etiam in aliarum specierum peccatis frequenter locum habet. "Sicuti Medici de multis morbis certi sunt, quod per seipsos lethales sint,"

„ & de multis, quod soli mortem non adferant: at de plerisque incerti, sintne mortiferi
 „ an non, ita nos scimus multa peccata (quæ morbi sunt animæ) talia esse, ut excludant
 „ hominem à vita æterna: multaque non esse tam gravia: de multis verò an venialia
 „ sint, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certè (ait Augustinus
 „ lib. 21. de Civitate Dei capite ultimo) usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad
 „ eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent ne studium pro-
 „ ficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat., Hactenus Augustinus. Liceat ergo nobis
 „ ad imitationem S. Augustini specialiter de furtis, potissimum ex parte materiæ, dicere,
 „ quædam scimus esse venialia, & præterea sunt alia, de quibus mortaliane an venialia sint
 „ utiliter nos latet, ut hæc tanto magis caveamus. Duo hinc collige; 1. quod animarum
 „ directores debeant sæpè fateri sese latere an hoc illudve de quo interrogantur sit peccatum
 „ mortale an veniale tantum. 2. Collige, quod Confessio istius nescientiæ sit utilis
 „ talia interrogantibus: nam hoc solum, quod dubium sit an hoc illudve sit mortale; an
 „ veniale tantum, abundè sufficit, ut vel idèd caveatur.

§. 5.

*Qui in omnibus passim definire audent hoc est mortale, hoc est veniale tantum, fa-
 teri debent se esse Augustino doctiores vel esse præsumptuosos.*

EX dictis anteriori Paragrapho collige quod Doctores aut animarum Directores, qui
 passim in omnibus definire audent hoc est mortale hoc veniale tantum, admittere de-
 beant, quod ipsi vel sint doctiores quàm fuerit August. vel præsumptuosi; quia cum pro-
 fiteantur sese super istis quæstionibus scire tam multa quæ latuerunt Augustinum, necessum
 est ut istud audeant vel ex scientia majori quam habuerit Augustinus, vel, quod verius est,
 ex temeritate quâ, licet Augustino tantò inferiores, præsumunt definire quod ipse agnosce-
 bat sibi esse periculosissimum. Et hæc quidem non minus in periculum aliorum, quàm
 cum periculo sui: siquidem dum populus illorum autoritate persuasus & sæpissime de-
 ceptus, credit esse venialia tantum, quæ iudicio divino reverà mortalia sunt, facillè pro-
 venialibus frequentat mortalia, maxime cum iidem illi sive Doctores sive animarum Dire-
 ctors, de peccatis quæ ipsi dicunt esse venialia tantum, eum in modum tractent, ut parum
 aut nihilò cavenda putentur: contra quem errorem, utpote valdè perniciosum, subse-
 quenti paragrapho agendum est.

§. 6.

*Non solum furta venialia, sed etiam alia venialia peccata multis titulis studiosè
 vitanda sunt.*

QUæ sint mortifera, quæ venialia peccata, quæ levia, quæ gravia, non humano sed
 „ divino sunt pensanda iudicio. Sunt enim quædam quæ levissima putarentur, nisi in
 „ Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem patri suo, *fatue*, reum
 „ gehennæ ignis putaret nisi veritas diceret? huic accedit quod peccata quamvis magna &
 „ horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur., Aug. in
 „ Enchir. cap. 78. & sequ. Facile esset ex his rursus ostendere quod de multis peccatis in-
 „ certum sit nobis an sint mortalia, an venialia tantum; deinde in multis sufficere
 „ illam incertitudinem, ut saltem eo titulo vitentur: verum hic titulus non magnæ confi-
 „ derationis est apud eos, quibus juxta generale suum principium de usu probabilium, actio
 „ probabiliter, ut vocant, licita, certò est licita in praxi: & probabiliter tantum venialiter
 „ culpabilis, certò non est in praxi nisi veniale peccatum. Hi enim suo illi principio infi-
 „ stendo pronuntiare debent contra Augustinum, quæ sint mortifera, quæ venialia peccata,
 „ non Divino sed humano pensanda sunt iudicio. Alia ergo motiva pro vitandis peccatis
 „ venialibus, quæ etiam contra illos valeant, assignabimus.

Per furtâ minuta tandem perveniri ad summam notabilem, pauci negabunt, saltem jam; tum quod hoc sit in se evidentissimum, tum quod doctrina Propositionis 38. jam sit condemnata, & *Banni*, ac socii ejus *Sancti* ratiunculæ ante allegatæ, reverà adeò jam appareant imbecilles ut nullus eas deinceps amplexurus credatur. Porrò si per furta minuta perveniant tandem ad summam notabilem & ideò ad peccatum mortale, nemo dubitare potest, quin vel eò titulò sint cavenda furta minuta & specialiter eorum multitudo. Purabit fortè aliquis, nos hinc inter modum quo furta minuta ducunt ad peccatum mortale, isthinc inter illum modum, quo alia peccata venialia disponunt ac perducunt ad mortale peccatum, velle asserere omnimodam ac Metaphysicam paritatem: nequaquam hæc est mens nostra: sufficit namque nobis istud quod omnes concedere debent, quod nimirum quodlibet peccatum veniale, quantum est de se, augeat cupiditatem, & dum continuò augetur cupiditas tandem superatur charitas, atque ita in corde prædominatur amor sæculi; in quo amore prædominante consistere peccatum mortale jam sæpius, potissimum ex Scriptura Sacra & Aug. ostensum est.

Pro secundo motivo vitandi peccata venialia assignamus, quod peccata venialia diminuant fervorem charitatis, adeoque etiam diminuunt facilitatem adimplendi præcepta sub mortali obligantia: charitas enim sola facit ut *jugum Christi sit suave & onus ejus leve*. Præterea peccata venialia augent cupiditatem, quæ sola facit ut *jugum Christi sit durum & onus ejus ponderosum*; atque hoc pacto peccata venialia adducunt difficultatem adimplendi Præcepta sub mortali obligantia. Et hæc quidem præstant venialia eò magis quò majora sunt, quò plura, & quò diutius continuata; atque eâ ratione venialia rursùs disponunt ad mortalia.

Tertiò: *necessè est*, ait Innocentius I. *ut quò auxiliante vincimus, eò iterùm non adjuvante vincamur*, ita quidem, ut Augustino teste, nullum sit peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo si desit Rector à quo factus est homo. Fit ergò gratiâ & protectione divinâ ut mortalia vitemus. Porrò hæc gratiâ & protectione specialiter nos indignos reddimus per peccata venialia; potest proinde propter illa hæc nobis denegari: scimus enim, notissimis Augustini verbis loquor, gratiam Dei non omnibus hominibus dari: scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari.

Quartò: Scriptura sacra, Sanctorum exempla, & propria experientia nos docent ad perseverandum in justitia esse vigilandum, orandum, & persistendum in exercitiis Fidei, Spei, & Charitatis. Vide etiam quæ Concilium Trident. Sess. 6. cap. 13. requirit ad perseverandum: sed multa peccata venialia consistunt in neglectu saltem aliquo, vigilantia, Orationis, exercitiorum Fidei, Spei, & Charitatis & aliorum quæ veluti remedia perseverandi requirit Concilium Trident.: ergò etiam hæc ratione peccata venialia, saltem illa, disponunt ad mortale.

Ex dictis patet quantò jure dicat Scriptura Sacra *Qui spernit modica paulatim decidet*. Conformiter Aug. Conc. 3. in psal. 118. "Quædam incautis minuta subrepunt: quæ, si adversus nos colligantur, etsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt." Quod intelligendum, si minuta illa negligantur. Etenim sicuti per parva furta non venit ad mortale, si res levioribus furtis sublata priusquam ad summam notabilem perveniantur restituantur; ita peccata venialia si non negligantur sed per actus contrarios & potissimum per pœnitentiam, sat citò retractentur ac deleantur, non perducunt ad mortale. Hinc S. Augustinus *tract. 12. in Ioann.* "Quoniam minuta plura peccata, si negligantur, occidunt" & proseguitur: Minuta sunt guttæ quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ: sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc, facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens: paulatim per sentinam intrat, sed, diu intrando & non exhauriendo, mergit navim."

CON-

CONCLUSIO QUARTA.

Præter titulum rei acceptæ, & injustæ acceptionis, datur alius obligans ad restitutionem, ad quam etiam aliquando tenetur mandans revocato mandato ante executionem.

IN Propositione 39. dicitur: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum damnum tertio, non tenetur ad restitutionem damni illati.* Communis est Theologorum passim omnium sententia, quod non solum injustus executor verum etiam cooperator, ut jussor, consultor, teneatur ad restitutionem damni illati: nec mirum quandoquidem ejusmodi cooperator cum ipsomet executore influat ac ponat damnum tertii: imo quamvis executor ponat physice damnum, cooperator (ut in primis patet in jussore) sæpe moraliter loquendo magis illud ponit, quam executor.

Porro in hac materia restitutionis, duo utiliter quærentur: quorum primum, an verum sit neminem teneri ad restitutionem nisi ratione rei acceptæ vel injustæ acceptionis? Ad quod Resp. adjungendum esse tertium titulum nimirum ratione contractus saltem impliciti. Nam pone quempiam pecuniis alterius apud se depositis, aut sibi commissis ad transferendum per viam, vitam suam alio quam istarum pecuniarum titulo à prædonibus periclitantem redimisse; procul dubio tenebitur ad restitutionem, nimirum ratione contractus impliciti quo censetur in traditione istarum pecuniarum se obligare ut opportuno tempore restituat; non autem ratione rei acceptæ (cum ea penes ipsum amplius non sit) nec ratione injustæ acceptionis, quia supponuntur tales circumstantiæ ut nihil injustitiæ fuerit commissum in traditione dictarum pecuniarum. Similiter qui in via à grassatoribus spoliatur equo, quem amicus ei commodavit, ad restitutionem tenetur, ratione contractus saltem impliciti, non autem ratione rei acceptæ nec ratione injustæ acceptionis.

Præterea, non abs re fuerit examinare an verum sit, quod multi dicunt: etsi consultor retractato consilio ante executionem sæpè maneat obligatus, non tamen jussor retractato mandato? cui iterum resp. non esse istud universaliter verum de jussore, etiam ponendo quod jussor cum mandato non det instructionem: Ratio est quia fieri potest ut mandans imprefserit mandatario vi sui mandati aliquam corruptionem sive malam voluntatem, quam etsi conetur, non ideo tamen revocatione mandati efficaciter retractet: siquidem quotidianâ experienciâ discimus, corruptiones voluntatis in quovis genere peccati sæpè non tolli retractatione dictorum facta per illos, qui extiterunt corruptionis primi authores: sicuti incendia non semper extinguuntur conatibus illorum, qui fuerunt prima origo.

Ut ad Propositionem 39. quæ hujus excursionis occasionem dedit, redeamus: Authores Speciminis rursus queruntur quod illa imputetur *Baunio*: hunc enim dicunt solummodo docere non obligari ad restitutionem qui precibus induxit, nullam imponendo obligationem præcipiendo, comminando, &c. Hæc in favorem *Baunii* Authores Speciminis qui vel his concessis admittere debent quod, insistendo circa probabilia principia illorum quorum patrocinium susceperunt, unius *Baunii* autoritas posset in hac materia à restitutione quempiam excusare, etsi milleri doctissimi & probatissimi eum ad restituendum condemnent. Vide Theses nostras de Opinione Probabili Conclus. 2.

PERTINENS.

UT Propositioni alicui assentiariis necessum est ut consideratis omnibus sive intrinsecis sive extrinsecis motivis quæ nosti tam pro veritate quam pro falsitate propter illa judices potius veram, quam falsam esse; ergo sua opinio cuique est probabilior quam opposita: si proinde tibi ad securitatem sufficiat opinio tibi probabilior (quod nimirum tua actio sit licita) admittere debes cuius suam opinionem esse securam morum regulam; quod est manifestè falsum & summè perniciosum.

F I N I S.







Theles
Doctorū
Academiae
Lovan.

Th
2170